

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Jonstoni Historia Naturalis**

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale Omnivm|| Animalivm||  
Qvadrpedvm

**Jonston, Jan**

**Heilbrunna, MDCCLV.**

**VD18 90528808**

Caput VIII. Quid sit Zibeth?

**urn:nbn:de:gbv:45:1-10966**

cenfuerit, quod defertur, bivaſculum eſſe teſtes, pariter Plinius lib. 32. cap. 3. ex Sextio Medico diligentiffimo, ex quo videtur colligi poſſe liquoris folliculos non eſſe teſtes et quidem facile, quia teſtes non ſunt liquoris forma in folliculis. Dicendum ergo a deſſe animalia multa, ut Hyænas, Zibethica, Caſtores, Moſchifera, Lepores, et alia, quæ inguinibus vaſcula ferant, in quibus liquores quosdam odoratos proprios deferant, ut inter piſces ſepia, loligo, purpura, excrementa odorata continent in veſiculis.

Quod autem de Moſcho ferunt, non videtur verum. Concedimus quidem animal eſſe exoticum et Indicum in regno *Pegu* ac potiſſimum in agro *Tumbaco*rum admodum frequens, caprae non multum diſſimile ac corpore praegrandi, *Dorchadem Moſchi*, *Gazellam Indicam* et *Capreolum Moſchi* nominatum, ex cuius inferiore maxilla, aequè dentes utrinque ſinguli porcorum inſtar exeruntur.

At quum narant, huic cum Veneris oestro percellitur, furoris vehementia umbilici regionem intumefcere ibique congeſto ſanguine multo et craſſo fieri apoſtoma atque tum ferum illud animal potum, cibumque averſari omnem et humi ſeſe provolvere atque lapidibus et arborum truncis turgentem partem quadam voluptate confricando diſrumpere ac vomicam aperire, ex qua ſaniem quandam excerni, quæ

verus eſt Moſchus, illam autem ſaniem, etiam referunt, ſuper arborum truncis aut faxis relictam, calore ſolis ac coeli bonitate coqui et elaborati, ſic viroſum ipſius odorem, ſi quis eſt, diſſipari et hanc eſſe optimum Moſchum. Alioqui capta fera venatores partem cum corio ſimul abſcindere, cruorem effluentem exprimere, colligere, exſiccare et ſervare cum utriculis aut pellibus eorundem animalium, quorum ſaepe ſanguinem exſiccatum, pauculae recrementi dicti portioni commixtum, pro puro Moſcho ab inſitoribus ſeu adulteratoribus vendi, etc. Nos ſi haec attente conſideraverimus eandem eſſe naturam Moſchiferi animalis, ac Zibethici aperte cognoſcemus, nonne ambo ſub umbilico vas excrementi collocatur? nonne ambo ad Venerem iritantur copia ſui excrementi? nonne ambo, ut tale excrementum expurgent, ſe confricant lapidibus et ſtirpibus? nonne utrumque excrementum eligitur potius ab animali expurgatum, quam ab homine extractum? Quare utriusque ſimilis eſt natura et ideo ſi ex Ariſtotele a notioribus nobis ad minus nota procedendum, ex nota natura Zibethi veniamus in cognitionem Moſchi minus nobis noti et dicemus, ſicut Zibeth eſt non ex apoſtimate, ita neque Moſchus, quare Moſchiferum animal habebit etiam particulam determinatam naturaliter ad colligendum excrementum dictum Moſchus.

## CAPUT VIII.

## Quid ſit Zibeth?

Nomina.

**E**x hoc animali colligitur odorem dictum Zibeth a Scaligero, Zibettum et Zapetion ab Hermolao et Ruellio, a nonnullis Algalia, ab aliis Civetta. Huius in animali ipſo, quæ ſit materia, non certo apud omnes conſtat.

An ſit ſemen?

Siquidem animalis ſemen vocavit Cardanus, unde a Scaligero reprehenditur, et iure, verum enim ſemen non eſſe, patet manifeſte, quia,

qui adhaerent, ſubſuntque teſtes, non eo ſuos ſeminales ductus evacuant, ſed per penem, ut in canibus, quod ſeſtione earum partium clariffime vidimus. Nec poſſumus dicere, quatuor habere teſtes, duos proli generandae deſtinatos, alteros vero apertos ad ſuperflui ſeminis excretionem, quia hi utriculi exſiccati, quos ſervo, odorem Zibethi ſpirant, nullum autem teſtes, quo patet aliam materiam.

An ſit dor?

An ſit excrementum?

Diſtincta excrementorum

materiam contineri in testibus, aliam in istis folliculis et verum semen nequam esse odorem Zibethi.

An sit sudor?

Plurimi censuerunt esse animalis sudorem, ut Scaliger, Matthiolus, Ianuensis, Renodeus, Io. Leo in desc. Africae, F. Gregorius de Bolivar, quibus subscripsit Faber, id affirmant, quia defatigato, irritato et sudante animali plurimum colligitur, immo etiam sub coxis, brachiis, collo et cauda ex F. Gregorio. Quibus ego assentiri nequeo, nam cum sudor per totum corpus emittatur, non in hominibus tantum, verum etiam in belluis, vidimus enim in equis sudantia dorsum, coxas, collum et caput, etiam si copiosior a dictis partibus sudor emergat, et ideo totum corpus eodem deberet esse praeditum odore. Cum vero foli utriculi et humor solus in ipsis collectus percipiatur odorata, non autem pellem, carnem, axillas et totum corpus, odorata sentiamus, nequam dicendus erit sudor, nisi forte a modo, quo colligitur in ipsis utriculis, hoc nomen sumere voluerimus, videtur enim a corpore glanduloso et spongioso per invisibiles poros in cavitates folliculorum refundare, unde dicitur non simpliciter sudor, sed membri Zibethici sudor.

An sit excrementum?

Alii generalius loquentes excrementum dixere, ita Ruellius vocavit sordem odoratissimam genitalium locorum. Desenius excrementitium genitalium humorem dixit, Scaligero et Reno deo placuit etiam adpellare strigmentum circa testes et pudenda concretum. Sed hi non descendunt ad particularem huius excrementi naturam, quare assumpto omnium auctorum consensu, quod sit animalis excrementum, considerandum a nobis erit, quale sit excrementum.

Distinctio excrementorum.

Possumus distinguere excrementa, ut aliud sit utile excrementum, ut semen, lac, aliud inutile, ut pus, sudor, sordes, etc. Diximus non esse semen, neque sudorem, neque erit pus, quia nec ulcus adest, nec materia corrupta, vel similis, ex qua pus gignatur. Ego censeo esse excrementum pro-

prium substantiae glandulosae dictorum folliculorum, quae tale gignat insita et propria vi ac facultate, ut ventriculus chylum generat, hepar sanguinem, mammae lac, testes semen, aures suas sordes, sepia atramentum, vipera in dentibus venenum et similia, immo, et simile omnino Melleo excremento Castorei et Moschi, et similia animalium. Sed

Dubitatio.

vereor determinare, an sit excrementum utile ipsi parti, vel animali gignenti, ut lac, et semen, vel omnino inutile, ut sordes aurium. Nam quum genitum excrementum grave videatur ipsi animali, ab eius enim acrimonia vellicatur et cogitur se ipsum exonerare, foemina autem, quae circum facta est, videtur delectari, dum auriscalpio Zibethum extrahitur, ex quo suspicari, inutile et nocuum ipsi animanti esse excrementum possumus. Contra odoris suavitas non indicat concoctionis carentiam, nec putredinem, uti accidit in excrementis praeter naturam, sed perfectam concoctionem et naturae dominium, unde superante natura, materia concocta a vi specifica membri dicenda erit naturalis, quamvis copiose excrescens partem propriam, veluti ad foetum edendum ad sui excretionem irritet, idem enim accidit abundante in suis vasis semine et lacte. Erit ergo excrementum utile, alioquin frustra natura tantam vim dedisset illis utriculis, quae gignerent materiam adeo odoratam et suavem, ut multas alias superet odoratas res. Sed ad quem finem?

Excrementum utile.

Finis.

semen inservit ad generationem animalium, lac ad eorundem nutritionem, ad quid proderit hoc excrementum? equidem possem imaginari, vel ut irritentur animalia ipsa ad coitum, vel ut ad idem remedium sit homini, eius enim gratia animalia fuerunt creata, ad hoc Castoris mellaginem destinamus, vel denique, ut iste odor inserviat animali ad venandum et ad se allicienda alia animalia, ut de pantherae odore diximus. Si quis meliora attulerit, laudabimus ingenium.

CA.

## De collectione et electione Zibeth.

Collectio.

Quum repleti fuerint utriculi substantia Zibethi, animal ipsum inquietum est et semet exonerare satagit, unde videtur dicendum, ab ipsius acri qualitate turgere, vexari et pungi, atque ad excretionem proritari, delectarique videntur cicurata animalia, dum folliculi in auriscalpio exinaniuntur, scribit Faber ex F. Gregorio citato. In hisce montibus, quos animalia haec pererrant, omni adhibita diligentia Nigritae, siue Mauri illi perquirunt veteres arborum, aridosque truncos et ubi aliquas maculas magnas, easque oleosas observaverint, eo se conferunt et globosam quandam materiam truncis iisdem adhaerescens, nuculas, aut castaneas magnitudine aequantem inde auferunt, in aqua ebullire permittunt, id quod supernatat pingue et oleosum remouent, mundioribus vasis infundunt usuique seruant. Atque haec est omnium optima ac purissima Algalia. Repletis enim folliculis, ob acrimoniam, ut reor, vellicantur et coguntur animalia se depurare, ideo in silvis arborum truncis se confricant, ut talis materia arboribus adhaereat.

Ea autem animalia, quae in caveis magnis domi asservantur, vel cicurata sunt, si abundaverit in eorum utriculis succus iste quasi eo molestata, velociter per caveam ambulant, nec loco stare queunt et si non extrahatur a nobis excrementum, animal ipsum, caveae lateribus et domus parietibus se confricando, Zibetha se abstergit, quod ita perit. F. Columna apud Fabrum descripsit modum, quo famuli D. Bernardini de Corduba odoriferum hunc liquorem ex masculo detrahente parabant. Ex famulis unus lorum, seu catenulam, qua ligabatur, trahabat. Posteriores alii pedes tenebat: Tertius utriculos revolvebat, qui medii inter anum, ac pudendum prominent, tam in mare, quam in foemina, in horum cavitate scaturiginem suam liquor ille Zibethicus, consistentiae prorsus melleae su-

Modus colligendi

mit. Hic extrahitur immisso auriscalpii maioris simili instrumento, quod per cavitatem quaqua versus saepiuscule revolvitur. Hoc ubi in uno atque altero folliculo praestitisset, gossypio utriusque pilos, qui curti sunt abstergebat. Ac ubi sexies forsitan cochleari illo parvo utrumque utriculum emundasset, tantum ferme Zibethi collegit, quantum avellanarum nucis cortici implendo satis esset. Addebat idem D. de Corduba aestate liquidiores, dum hieme succum colligi, ita, ut in calidibus illis, singulis binis diebus semuncia corraderetur, hiberno vero tempore, vix semel in septimana succum illum, nec tantam eius quantitatem acquiri. Ex foemina postea minus Zibethi educerebat, quae cicur facta nulatenus repugnabat.

Zibethi substantia videtur esse pinguis et unctuosa, nam in aqua ebulliens superiora petit et ab heterogeneis separatur, consistentia mellis, seu butyri est, liquidius aestate abstractum, vel recentioris temporis processu incrassatur. Ego extraxi a folliculis animalis demortui ultra drachmas duas, colore albedo et mellis liquidioris consistentia. Scalliger, et cum hoc Renodeus, dixit esse odorem pingue, crassum, nigri saponis facie, sed vidit in superficie et antiquatum. Amatus vero, quum recens est, inquit, tetri, et horribilis est odor, postea vero successu temporis gratum spirat odorem. Quadramius Zibetho contrarium accidere, Ambrae et Moschi, haec enim quo recentiora, eo praestantiora, Zibethum autem vetustius, melius F. Donatus ab Eremita lib. I. Antidotarii cap. 10. optimum, ait esse leonino ac subpallido colore, pingue, moderate liquidum, tempore crassescens, papyro impositum et confricatum solubile sine corpore, quo distinguitur ab adulterato. Idem Frater Evangelista Quadramius lib. de Theriaca c. 11. scripsit: Masculi Zibethum albedo est colore, foemellae vero leonino, post hebdomadam

ab

Adu

Leg  
mun

Substantia

Qualitates

Pul  
beti